

ORATIONES DICENDÆ AB EPISCOPO QUANDO PRIVATE CELEBRAT

Indulgentia centum dierum pro singulis orationibus.
Pius Pp. XII, 14 Januarii 1940

Cum exuitur Cappa:

Exue me, Domine, veterem hominem cum moribus et actibus suis: et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.

Cum lavat manus dicat:

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam immundam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum:

Impone, Domine, galeam salutis in capite meo , ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium versutias superando.

Ad Albam:

Dealba me, Domine, et a delicto meo munda me; ut cum his, qui stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum:

Praecinge me, Domine, cingulo fidei et virtute castitatis lumbos meos, et extingue in eis humorem libidinis; ut jugiter maneat in me vigor totius castitatis.

Cum accipit Crucem pectoralem:

Munire digneris me, Domine Iesu Christe, ab omnibus insidiis inimicorum omnium, signo sanctissimae Crucis tuae: ac concedere digneris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc Crucem, Sanctorum tuorum reliquiis refertam, ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam at memoriam passionis, et sanctorum victorias Martyrum.

Ad Stolam:

Redde mihi, Domine, obsecro, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevericatione primi parentis; et, quamvis indignus accedere praesumo ad tuum sacrum mysterium cum hoc ornamento, praesta, ut in eodem in perpetuum merear laetari.

Ad Planetam:

Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est, et onus meum leve: fac, ut illud portare sic valeam, quod possim consequi tuam gratiam.

Ad Manipulum:

Merear, precor, Domine, manipulum portare mente flebili; ut cum exultatione portionem accipiam cum justis.